

nec in usum suum vertere^t reservata, quia precium usure est.“ Hoc enim non ex puritate consciencie sue dicebant, sed concussi timore regie^u maiestatis, reddi^v singula et in pretorium reponi^w voce preconica^x sub pena capitalis^y supplicii proclamantes per vicos et plateas procurabant, data desuper publica sponsione, quod reportantibus detur congruum premium secundum ius requisitum. Audiens^{z34} hoc populus, qui eos trucidaverat, quod iniuste^a bona usuraria occuparet^b, penitencia ductus^c super pretorium mortis^c pecuniam et aliam^d suppellectilem^d retulit et [fol. 145r] proiecit. Consules autem dixerunt ad eos: „Iam vos mundi estis, sed non omnes³⁵.“ Sciebant enim aliquos ad restitutionem^e penitus obstinatos^f. Ad quos populus: „Quid³⁶ ad nos? Ipsi videbunt.“ Et omnis turba Christianorum, qui simul adherant ad spectaculum, hoc et videbant et^g fremebant^g. Percucientes³⁷ Hebreorum cadavera revertebantur. Et³⁸ qui premissa vidit, testimonium perhibuit et verum est testimonium eius. Et ille scit, quia vera dicit, ut^h vos credatis. Facta suntⁱ autemⁱ hec ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi anno^j M^oCCC LXXXIX^j.

Altera³⁹ autem die, que^k tertia die sabbati, post excidium^l Iudeorum convenerunt principes, sacerdotes et optimates civitatis cum plebe, senes et iuvenes, mulieres et virgines, monachi, latrones^m pariter et meretrices ad locum excidii sero facti. Cumque intuerentur innumera Hebreorum cadaveraⁿ per domos et plateas in sectoribus^o

t) convertere *P* u) rege *PL* v) reddere *M* w) reponere *PL* x) preconica *PL* y) capitali *PL* z) Audiens autem *P* a) iuste *M* b) occupavit *P* c-c) mortis ductus super praetorium *P* d-d) alia suppellectilia *M, P* e) restituendum *P* f) obcuratos *M* g-g) quae fiebant *P* h) ut et *P* i-i) sunt *M*; autem sunt *P* j-j) anno eiusdem *M*; anno *P*; *Jahreszahl radiert und überschrieben PL* k) quae est *P* l) occidium *P* m) et latrones *M* n) nuda cadavera *P* o) stercoribus *M*; stationibus *P*

34) *Matth.* 27,3: Tunc videns Iudas qui eum tradidit quod damnatus esset | paenitentia ductus rettulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus.

35) *Ioh.* 13,10–11: dicit ei Iesus | qui lotus est non indiget ut lavet | sed est mundus totus | et vos mundi estis sed non omnes / sciebat enim quisnam esset qui traderet eum.

36) *Matth.* 27,4: at illi dixerunt | quid ad nos tu videris.

37) *Luc.* 23,48: Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud | et videbant quae fiebant | percutientes pectora sua revertebantur.

38) *Ioh.* 19,35: et qui vidit testimonium perhibuit | et verum est eius testimonium | et ille scit quia vera dicit ut et vos credatis.

39) *Matth.* 27,62: Altera autem die quae est post parasceven | convenerunt principes sacerdotum et Pharisei ad Pilatum ...